Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38235
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

sed ne te deserat presentia domini quem amplecteris coeternum frui
desideras; Nos ergo diligamus deum quoniam ipse prior dilexit nos;
Diligamus: quoniam ipse prior dilexit nos; nam unde diligeremus. nisi
ille prior dilexisset nos. hinc enim ipse in euangelio dicit. non uos
me elegistis sed ego elegi uos; Ita autem perfecti erimus in caritate.
si quemadmodum nulli alterius nisi salutis nostrae gratia prior
ille nos dilexit; nos quoque ita eum nullius rei nisi sui tantum
amoris dilexerimus obtentu. Uerum quia sunt qui uerbo tenus
deum diligunt. consulte subiungitur: Si quis dixerit quoniam diligo
deum & fratrem suum oderit. mendax est; Unde probamus quod
mendax est, audi; qui enim non diligit fratrem suum quem uidet.
deum quem non uidet quomodo potest diligere; quid ergo. qui diligit
fratrem suum. diligit deum; necesse est ut diligat deum. ut diligat ip
sam dilectionem. deus enim dilectio est. & nequis dicere audeat. & quid ob
stat diligere deum. etiam si non diligo fratrem. recte subdidit; & hoc
mandatum habemus a deo. ut qui diligit deum diligat & fratrem suum;
Quomodo enim diligis eum. cuius odisti mandatum; quis est qui di
cat diligo imperatorem. sed odi leges eius. non ita est uerus dei amator,
sed uide inquit. quia mandata tua dilexi domine. & ideo confidenter
adiungit; in tua misericordia uiuifica me; SECUNDUM SANCTUM EUANGELIUM SECUNDUM LUCAM
Homo quidam erat diues & induebatur purpura & bysso. & epula
batur cotidie splendide. Purpuram regum habitus esse colorem mari
nis conculis tinctam nemo fere qui dubitet. nam concilia ferro
circumcisa lacrimas purpurei coloris quibus quidem lana tinguatur
emittunt; Byssum uero genus est quoddam lini nimium candidi &
mollissimi. quod greci papaten uocant; Admonuerat ergo dominus supra
facere amicos de mammona iniquitatis. qui cum ab hac uita de
fecerimus. recipiant nos in aeterna tabernacula; quod autem audien
tes pharisaei deridebant; uerum ille que preposuerat exemplis
astruens ostendit. ideo diuitem purpuratum inremediabiliter
apud inferos. tortum quia pauperem lazarum a quo in aeterna taber
nacula recipi posset. amicum sibi facere neglexerat; Nonnulli autem
putant precepta ueteris testamenti districtiora esse quam noui;
Sed hi nimirum inprouida consideratione falluntur. in illo
enim non tenacia sed rapina multatur. ibi res iniuste subla
ta restitutione quadrupli punitur; hic autem diues iste non
abstulisse aliena reprehenditur. sed propria non dedisse. nec
dicitur quia quempiam obpressit. sed quia in acceptis rebus se